



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Clypeus Theologiæ Thomisticæ**

In Tres Partes Divisus, Et Quinque Voluminibus Comprehensus

[Tractatus de attributis, de visione beatifica, de scientia Dei ac de ejus  
voluntate et providentia]

**Gonet, Jean-Baptiste**

**Coloniæ Agrippinæ, 1671**

§. V. Referuntur Theologorum sententiæ, & prima rejicitur

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-77132](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-77132)

transcendentem, aliasque rationes, ad ordi-  
nem physicum, & lineam entis pertinentes, ut  
infra dicemus: Ergo quamvis Deus possit move-  
re physice voluntatem ad materiale peccati ma-  
terialiter sumptum, non tamen potest eam mo-  
terialiter ad illud movere, per consiliu[m], præce-  
ptum, suasionem, inspirationem &c.  
Ex quo intelliges, quod cum in sacra Scriptu-  
ra & egum 16. dicitur, quod Dominus præcepit Se-  
ra. ut malidiceret David: præceptum ibi sumitur  
per permissionem. Sicut quando Deus dicitur in-  
curare aut excæcare, idem est ac si diceretur,  
permittere excæcationem, aut incurrationem.  
Item cum Christus Joan. 15. Judæ ante traditio-  
nem veni dicitur dixit, quod facis, fac citius,  
non præcepit illi immane sacrilegium proditio-  
nis, & venditionis, Nam secundum aliquos, il-  
lus imperativum continet exprobrationem  
quod quod animo conceperat Judas. Secun-  
dum alios, non præcipit actum ipsum, sed acce-  
derationem: non enim (inquunt) est malum in-  
ducere aliquem præcepto aut consilio, & ex-  
equandum congruo tempore peccatum quod est  
paratus committere, ut possit ex eo sumi occasio  
boni. Secundum alios præcipit separationem  
ab aliis Apollolis, non verò venditionem ipsam:  
unde subdit, & exi vit continuò. Denique juxta  
alios, solum significat permissionem. Ita D.  
Thomas super illum locum, & D. Augustinus  
Tractatu 61. in Joannem.

Similiter dum Marth. 5. dicitur: *Audistis quia  
dicitur est, diliges proximum tuum, & odio habebis ini-  
micum tuum*: non significatur odium inimico-  
rum fuisse aliquando in antiqua lege præce-  
ptum (quidquid in contrarium dicat Maldona-  
tus) quia aliàs vitari non posset, quin Deus esset  
causa mali, cum ipse veterem legem condiderit,  
& eam per Moysis ministerium populo tradi-  
derit. Significatur ergo solum, fuisse deductum  
à Judæis, odio habendos esse universaliter ini-  
micos, ex eo quod Deus illis præceperat ut ami-  
cos diligerent, & Gentes, & quasdam tanquam  
inimicas persequerentur, & perderent. Unde D.  
idem est ac si diceretur: *Audistis quia dicitur est an-  
tiquis: diliges proximum tuum* (& per malam con-  
sequentiam Phariseorum deductum) *Et odio  
habebis inimicum tuum. Ego autem dico vobis, dilige-  
te inimicos vestros.*

§. V.

Referuntur Theologorum sententia, & prima  
rejecitur.

Rejctis hæreticorum erroribus, quid Ca-  
tholici circa propositam difficultatem sen-  
tiant, breviter declarandum est, & verior, ac  
probabilior sententia eligenda.  
Prima ergo opinio docet Deum non concu-  
rere positivè, sed tantum permisivè ad materia-  
le peccati. Ita olim docuere quidam antiqui  
Theologi relati, à D. Thoma in 1. dist. 37. quæst.  
2. art. 2. & ab Alberto Magno ibidem dist. 35. art.  
7. Hos postea secuti sunt Aureolus & Durandus,  
qui immediatum Dei concursum ad operatio-  
nes causarum secundarum sustulerunt. In ean-  
dem sententiam inclinare videntur quidam Re-  
centiores, quos citat, & sequitur Salas 1. 2. titulo  
37. disp. 10. sect. 1. qui negant actum peccati, et-  
iam pro materiali: acceptum, & quantum ad id  
quod habet entitatis, & actualitatis, positivè ca-  
dere sub divina providentia, licet cadunt alii ef-  
fectus naturales.

Tom. I.

Secunda opinio admittit quidem Deum ad  
materiale peccati positivè concurrere, docet ta-  
men hunc concursum non esse prævium, & de-  
terminantem; sed simultaneum, ac differentem,  
& à voluntate creata ad speciem actus determi-  
nari, licet eam ad individuum determinet. Exi-  
stimant enim Authores hujus sententiæ, quod si  
Deus prævio concursu in materiale peccati in-  
fluere, attingeret etiam (secundariò saltem &  
indirectè) malitiam & deformitatem illi an-  
nexam, & consequenter esset author & causa pec-  
cati: quod est incidere in errorem Calvini, jam  
impugnatum, & divinæ sanctitatis (ut ajunt) fa-  
mam deterere. Ita docent Molina, Suarez, Lessi-  
us, & alii Recentiores communiter.

Tertia sententia, quæ in Schola D. Thoma  
communis est, & quam, ut infra ostendemus, a-  
pertè profitetur ipse Angelicus Doctor, ejuque  
Magister Albertus magnus, existimat dignita-  
tem primæ causæ, primi principii, & primi mo-  
ventis (quæ in Deo nihil nobilioris, & præstantius  
est) non posse salvari per concursum purè si-  
multaneum & indifferentem, à voluntate creata  
determinabilem, sed tantum per concursum  
prævium, & prioritate naturæ & causalitatis,  
determinationem liberi arbitrii antecedentem.  
Unde cum sine præjudicio fidei negari non pos-  
sit, Deum esse primam causam, & primum prin-  
cipium illius entitatis, actualitatis, & bonitatis  
transcendentis, quæ in materiali peccati im-  
bibitur (alioquin admittenda essent plura re-  
rum prima principia, quod est in Manichæorum  
hæresim incidere, & primo Symboli nostræ fidei  
articulo, quo Deum creatorem & factorem om-  
nium visibilibus & invisibilibus profitemur, cõ-  
tradicere) consequenter docent, Deum in mate-  
riale peccati materialiter sumptum, & in actus  
peccatorum, quatenus actus & entia sunt, non  
solum simultaneo, sed etiam prævio concursu  
influere, & voluntatem creatam ad producen-  
dam entitatem, actualitatem, & alias rationes ad  
ordinem physicum, & lineam entis pertinentes,  
prædeterminare, & applicare. Quia tamen con-  
cursus ille præcisivus est, & sistit intra ordinem  
physicum, & formalitates tantum ad illum or-  
dinem spectantes attingit, Deus non est, nec po-  
tes dici causa peccati, nec divinæ sanctitati ul-  
lum inferri præjudicium. Hanc sententiam sic  
explicatam testatur Dominicus Soto in libris de  
natura & gratia in Concilio Tridentino editis,  
& à Legatis ipsius Concilii approbatis, fuisse ab  
omnibus Theologis sui temporis unanimi con-  
sensu receptam. Nam lib. 1. cap. 18. circa finem,  
sic habet: *Haud equidem dissentunt Theologi, enti-  
tatis (ita vocant) quæ est peccatum, Deum esse causam,  
eo efficiencia genere, quo cuncta & animantia & ina-  
nima, ad suas naturales actiones permover.*

Dico ergo primò, Deum non solum permisi-  
vè, sed etiam positivè, concurrere ad actum pec-  
cati, quatenus est ens, & actus physicus & vita-  
lis. Ita communiter Theologum D. Thoma 1.  
2. quæst. 79. art. 2. & in 2. sent. dist. 37. quæst. 2. art.  
2. ubi sententiam oppositam, asserentem pecca-  
tum, sub ratione entis & actus, non esse à Deo  
(quam ipse tempore tenebant quidam Theo-  
logi) dicit esse propinquissimam duplici errori. Et  
Albertus magnus ibidem dist. 35. art. 7. inquit  
quod hæc opinio quæ obtinuit plures antiquorum,  
ferè cessit ab aula, & à multis modernorum reputatur  
hæretica. Idem docet D. Anselmus lib. de  
concordia præscientiæ & prædestinationis cap.  
7. ubi

Vuu 2

7. ubi

7. ubi hæc scribit : *Omnis qualitas vel omnis actio, & quidquid aliquam habet essentiam, à Deo est, à quo est omnis iustitia, & nulla iniustitia. Facit igitur Deus omnia quæ iustè vel iniustè voluntate sunt : id est bona opera, & mala. In bonis quidem facit quod sunt, & quod bona sunt : in malis verò facit quod sunt, sed non quod mala sunt.*

178 Probatur ergo conclusio ratione fundamentali, quam tangit D. Thomas locis citatis. Omnis entitas, & actualitas creata, in Deum ut in primum ens, & primum actum, debet reduci : Sed entitas quæ includitur in actu malo & peccaminoso, est creata & participata, & actio peccati est aliqua actualitas potentia, & aliquis actus secundus physicus & vitalis : Ergo peccatum in ratione entis & actus, à Deo tanquam à primo ente, & primo actu debet immediatè procedere.

179 Confirmatur : Si Deus non concurreret effectivè, sed permissivè tantum, ad entitatem, & actualitatem quæ est in peccato : sequeretur dari in rerum natura aliquod ens creatum & participatum, quod subterfugeret divinam causalitatem, & omnipotentiam, & quod Deum ut creatorem, & primum principium non agnosceret, sed reduceretur in voluntatem humanam, tanquam in primam causam ; quod est erroneum, & repugnans primo Symboli articulo, ut constat ex suprâ dictis. Unde Anfelmus : *Audacia est dicere, aliquod esse ens quod non sit ab ente primo : Ergo & c.*

180 Dices : Omnem entitatem creatam esse à Deo, vel permissivè, vel positivè. Illa enim quæ est conjuncta cum bonitate morali, est à Deo positivè concurrente, & influente : ea verò quæ habet malitiam & deformitatem moralem annexam, est à Deo solum permissivè.

Sed contra primò : Implicat entitatem aliquam creatam poni in rerum natura, & acquirere verum & reale esse extra causas, per nudam permissionem Dei, & sine influxu positivo illius ; permissio enim est sola negatio impedimenti : pura autem negatio non potest dare esse physicum & reale : Ergo & c.

Secundò, ut arguit S. Doctor in 2. dist. 37. quæst. 2. art. 2. in argum. sed contra. *Quidquid non est causa operationis per quam aliqua substantia in esse producit, non est causa illius substantia : Sed per aliquam actionem peccati, substantia quædam in esse producit, sicut per adulteria & fornicationes homines generantur. Si ergo harum actionum Deus causa non est, in quantum actiones sunt, nec hominum, qui per has actiones generantur, est causa : quod est absurdum.*

## §. VI.

*Ex Scriptura & SS. Patribus demonstratur, Deum non solum simultaneo, sed etiam prævio concursu, ad materiale peccati concurrere.*

181 Deo secundò : Deum non solum simultaneo, sed etiam prævio concursu, in materiale peccati influere, seu movere & applicare voluntatem, & alias potentias, ad producendam entitatem, actualitatem, vitalitatem, bonitatem transcendentalem, aliaque rationes ad ordinem physicum, & lineam entis pertinentes, quæ in materiali peccati reperiuntur imbibita.

Probatur primò conclusio : Secundum Scripturam & SS. Patres, articulo præcedenti §. 8. relatos, Deus ab æterno prædefiniit omnes actiones & passiones Christi Domini, & consequenter ejus crucifixionem : Sed illa erat actio

A intrinsecè mala, imò & omnium pessima : etatenim non solum homicidium, sed etiam, ut ita dicam, Deicidium, ut pote occisio hominis subsistentis per subsistentiam divinam. Ergo secundum Scripturam, & SS. Patres, divine sanctitati non repugnat prædefinire actus intrinsecè malos ; non quia mali sunt, sed ut actus & entia sunt, voluntatem creatam movere, & applicare, ad attingendam entitatem, actualitatem, & bonitatem transcendentalem, quæ in illis actibus reperiuntur imbibita.

Respondet Suarez in opusculis libro 2. de concursu Dei cap. 5. crucifixionem Christi, proterat actio elicita à Judæis (sub qua ratione rat mala & peccaminosa) non fuisse à Deo prædefinitam, sed solum quatenus erat passio in Christo recepta : quia sub hac formalitate erat bona, & meritoria, ac satisfactoria pro peccatis nostris.

Sed in primis hæc responsio apertè contradicit Scripturæ : dicitur enim Actuum 2. Hanc (scilicet Jesum) definito consilio & presentia tradidit, per manus iniquorum affigentes interemptis. Nam ibi, non solum passio in Christo recepta, sed etiam actio affigendi Christum à Judæis elicita, tribuitur divino consilio, ejusque definitioni, & decreto. Unde etiam cap. 4. ad idem propositum additur : *Convenerunt Herodes, & Pontius Pilatus, cum Gentibus & populis Israel facere, quæ manus tua, & consilium tuum decreverunt fieri : scilicet crucifigere Christum.*

C Secundo contra hanc responsionem militat verba Augustini de corrept. & gratia cap. 7. ubi loquens de Apostolis ait : *Electi autem sunt adregnandum cum Christo, non quomodo electus est Iudas ad opus cui congruebat. Ab illo quippe electus est, ut novit bene uti etiam malis, ut per ejus opus damnabile, illud propter quod ipse venerat opus venerabile compleret. Cum itaque audimus : nonne ego vos decem elegi, & unus ex vobis diabolus est : illos debemus intelligere electos per misericordiam, illum per iudicium. Illos ergo elegit ad obtinendum regnum suum, illum ad effundendum sanguinem suum. Atqui effundere sanguinem Christi, non dicit solum passionem in Christo receptam, sed etiam veram & propriam actionem. Ergo passiones Christi, non solum sub ratione passionum, sed etiam sub ratione actionum, fuerunt à Deo prædefinitæ.*

E Tertiò hæc responsio præcipuum Adversariorum fundamentum evertit : cum enim actio & passio secundum Philosophos realiter identificentur, & sint una & eadem entitas, quæ habet diversos modos & formalitates : minus inter se distinguuntur, quàm entitas peccati, quæ ad ordinem physicum pertinet, & ejus malitia & deformitas, quæ spectat ad ordinem moris, & quæ secundum plures Theologos non est aliquid positivum, sed pura privatio. Unde si non obstante illâ intimâ connexionem, imò & reali identitate, quæ inter actionem & passionem reperitur, potuit Christi crucifixio, sub ratione passionis, à Deo prædefiniiri & causari, absque eo quod sub formalitate actionis ab illo prædefiniiretur, à fortiori eadem crucifixio, sub ratione entitatis & actualitatis, potuit à Deo prædefiniiri & causari, absque eo quod talis prædefinitio, vel causalitas, ad ipsam malitiam & deformitatem se extendere. Et sic prædefinitio actuum malorum, ut actus & entia sunt, non derogat divinæ sanctitati, ut contendunt Adversarii.

Proba-